

*Sedulius poetæ*  
*Hymni, 2*

A solis ortus cardine  
Adusque terrae limitem  
Christum canamus principem,  
Natum Maria uirgine.  
Beatus auctor saeculi  
Seriile corpus induit,  
Vt carne carnem liberans  
Non perderet quod condidit.

Faeno iacere pertulit,  
Praesepè non abhorruit,  
Paruoque lacte pastus est,  
Per quem nec ales esurit.  
Gaudet chorus caelestium,  
Et angeli canunt Deum,  
Palamque fit pastoribus  
Pastor creatorque omnium  
Hostis Herodes impie,  
Christum uenire quid times?  
Non eripit mortalia

Qui regna dat caelestia.

Miraculis dedit fidem,  
Habere se Deum patrem,  
Infirma sanans corpora  
Suscitans cadauera.  
Nouum genus potentiae:  
Aqua rubescunt hydriae,  
Vinumque iussa fundere  
Mutauit unda originem.

Xeromyrrham post sabbatum  
Quaedam uehebant comparès,  
Quas allocutus angelus  
Viuum sepulchro non tegi.

Zelum draconis inuidi  
Et os leonis pessimi  
Calcauit unicus Dei  
Seseque caelis reddidit.

*Boethius*  
*De consolatione philosophiae, II, 8.VIII*

Tum ego: Scis, inquam, ipsa minimum nobis ambitionem mortalium rerum fuisse dominatam.

Et illa: Omnem terrae ambitum, sicuti astrologicis demonstrationibus acceperisti, ad coeli spatiū puncti constat obtinere rationem, id est, ut si ad coelestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatiū prorsus habere iudicetur. Huius igitur tam exiguae in mundo regionis quarta fere portio est, sicut Ptolemaeo probante didicisti, quae a nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartae si, quantum maria paludesque premunt quantumque siti vasta regio distenditur, cogitatione subtraxeris, vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncti quodam punto circumsaepi atque conclusi de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? At quid habet amplum magnificumque gloria tam angustis exiguisque limitibus artata? Adde, quod hoc ipsum brevis habitaculi saeptum plures incolunt nationes lingua, moribus, totius vitae ratione distantes, ad quas tum difficultate itinerum, tum loquendi diversitate, tum commercii insolentia non modo fama hominum singulorum, sed ne urbium quidem pervenire queat.

Quid autem est, quod ad praecipuos viros (de his enim sermo est), qui virtute gloriam petunt, quid, inquam, est, quod ad hos de fama post resolutum morte supraea corpus attineat? Nam si, quod nostrae rationes credi vetant, toti moriuntur homines, nulla est omnino gloria, cum is, cuius ea esse dicitur, non exstet omnino. Sin vero bene sibi mens conscientia terreno carcere resoluta coelum libera petit, nonne omne terrenum negotium spernat, quae se coelo fruens terrenis gaudet exemptam?

Quicumque solam mente praecipi petit  
summumque credit gloriam,  
late patentes aetheris cernat plagas  
artumque terrarum situm:  
brevem replere non valentis ambitum  
pudebit aucti nominis.  
Quid o superbi colla mortali iugo  
frustra levare gestiunt?  
Licet remotos fama per populos means  
diffusa linguas explicet  
et magna titulis fulgeat claris domus,  
mors spernit altam gloriam,  
involvit humile pariter et celsum caput

aequatque summis infima.  
Ubi nunc fidelis ossa Fabricii manent,  
quid Brutus, aut rigidus Cato?  
Signat superstes fama tenuis pauculis  
inanem nomen litteris.  
Sed quod decora novimus vocabula,  
num scire consumptos datur?  
Iacetis ergo prorsus ignorabiles  
nec fama notos efficit.  
Quodsi putatis longius vitam trahi  
mortalis aura nominis,  
cum sera vobis rapiet hoc etiam dies,  
iam vos secunda mors manet.

### *Cassiodorus senator*

#### *De anima, 1-2*

*Quid amici requisiverint.*

Cum iam suscepti operis optato fine gauderem, meque duodecim voluminibus iactatum quietus portus exciperet, ubi etsi non laudatus certe liberatus adveneram, amicorum me suave collegium in salum rursus cogitationis expressit, postulans ut aliqua quae tam in libris sacris quam in saecularibus abstrusa compereram de animae substantia vel de eius virtutibus aperirem, cui datum est tam ingentium rerum secreta reserare; addens nimis ineptum esse si eam per quam plura cognoscimus quasi a nobis alienam ignorare patiamur, dum ad omnia sit utile nosse qua sapimus. Nulla enim peregrina res est de sensu proprio loqui, quando sibi natura interrogata respondet, nec longe tendit ut se invenire praevaleat. Nobis cum semper est ipsa quam quaerimus; adest, tractat, loquitur, et, si fas est, inter ista nescitur.

*Quid eis responsum sit.*

Dixi propositiones has non praceptis regum quae nuper agebantur, sed profundis et remotis dialogis convenire qui non tam istas aures corporeas sed interioris hominis intentum atque purissimum quaerere probantur auditum. Nec ideo facile posse de ipsa dici, quia per eam innumera novimus explicari.

### *Benedictus Casinensis abba*

#### *Regula monachorum*

### **III. DE ADHIBENDIS AD CONSILIUUM FRATRIBUS**

Quotiens aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem et dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium fratrum tractet apud se et quod utilius iudicaverit faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus quia saepe iuniori Dominus revelat quod melius est.

Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione et non presumant procaciter defendere quod eis visum fuerit et magis in abbatis pendat arbitrio, ut, quod salubrius esse iudicaverit, ei cuncti oboediant.

### **XXXVIII. DE EBDOMADARIO LECTORE**

Mensis fratrum lectio deesse non debet nec fortuito casu qui arripuerit codicem legere ibi, sed lecturus tota ebdomada dominica ingrediatur. Qui ingrediens post missas et communionem petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: «Domine, labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam».

Et sic, accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Et summum fiat silentium, ut nullius musitatio vel vox nisi solius legitatis ibi audiatur. Quae vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus sic sibi vicissim ministrent fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscumque signi potius petatur quam voce.

### **XLVIII. DE OPERA MANUUM COTIDIANA**

Otiositas inimica est animae, et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina.

Ideoque hac dispositione credimus utraque tempore ordinari, id est ut a Pascha usque kalendas octobres a mane exeunte a prima usque hora pene quartu laborent quod necessarium fuerit. Ab hora autem quartu usque hora qua sexta agent lectioni videntur. Post sexta autem surgentes a mensa pausent in lecta sua cum omni silentio aut forte qui voluerit legere sibi, sic legat ut alium non inquietet. Et agatur nona temperius mediante octava hora et iterum quod facendum est operentur usque ad vesperam.

Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit ut ad fruges recollegendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere monachi sunt si labore manuum suarum vivunt, sicut et patres nostri et apostoli. Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.